ORACVLVM
A REBECCA
CONSVLTVM

GEN. XXV, 21. seq.

D. O. M. A.

PRAESIDE

IO. ANDREA SCHMIDIO

ABBATE MARIAEVALLENSI

SS. TH. D. EIVSDEMQVE ET ANTIQQ. SS. PP. O.

ORDINIS SVI SENIORE ET H. T. DECANO

IN IVLEO MAIORI

AD D. IVNII MDCCXII.

PVBLICA DISQVISITIONE

EVOLVET

M. IOAN. SIGISMVND. EBERSBACH

SVIDNIC. SILESIVS.

HELMSTADII,

TYPIS GEORG. VVOLFGANGI HAMMII, ACAD. TYPOGR.

Coll. diss. A
105, 18

a. CV. 18.

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id427770424/1 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Sächs. Landes-Bibl.

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id427770424/2 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

TAnta eſt ſcripturae, a Deo profectae, foecunditas, ut non duntaxat ſingulis menſibus, ſed omni die fructus attentis devotisque lectoribus oſtendat uberrimos. Habet in ea praeprimis theologus, quae meditetur per omnem vitam, & nihilominus multa eorum ad coeleſtem academiam reſervare tenetur. Habet in ea philologus, quae omni cura ſcrutetur, ſequenti tamen aetati ſemper aliquam relinquens meſſem. Habet in ea & philoſophus, quae in ſuos transferat loculos, quando obſervat ex lumine naturae quoque nota ibidem notari, non una addita perfectione, ut animi vires exerceat, ſimul vero naturae limites ab ampliſſimo divino potentiae campo diſtinguere probe addiſcat. Omnibus, queis debita adſunt requiſita, ad eam patet aditus. Omnes ſublimitate & varietate rerum ſuarum allicit, allectosque tanta perfundit dulcedine, ut non tantum neceſſariis ad fidem & ſalutem inhaereant, ſed et in facti circumſtantiis, quas ſacrae literae non ſemper expreſſerunt, ſollicite & temporum ſeriei nec non ipſi negotio convenienter, inveſtigandis laborent. Et haec curioſitas, ſi non ultra columnas vagetur, omnino laudanda, multas nobis pepe-

rit meditationes minime contemnendas. Cum vero prolixum harum catalogum contexere mihi non ſit integrum, ad ſolum ORACVLVM A REBECCA CONSVLTVM hac vice provocabo. Paucis quidem his verbis, ותלך לדרש את יהוה *& ivit ad interrogandum dominum*, ſcriptura illius fecit mentionem, viris tamen doctis ex omni aetate amplam diſquirendi occaſionem dedit, licet illorum aliqui ipſa probabilitate, quam quaeſiverant, penitus exciderint. Dignum ergo nobis id viſum eſt argumentum, cui divina favente gratia aliquot tribueremus horas aliquotque pagellas, iisque exhiberemus, quae circa illud commentationibus digna fuere aeſtimata.

Duxerat Iſaacus quadragenarius ex voluntate patris uxorem Rebeccam, ut experiretur Abrahamo promiſſam feminis multiplicationem, numero ſtellarum & arenae *marinae* aliquando comparandam. Sed, quae ſunt fata piorum, Iſmaeli dum omnia in familiae propagatione ex voto fluebant, Iſaaco contra ex ſterilitate Rebeccae, impedimentum obiicitur ſingulare, per viginti annorum decurſum. Habuit *D*eus ſine dubio cauſas huius morae ſanctiſſimas, ut ſcilicet Iſaaci probaret fidem, monſtraretque generationem multiplicationemque populi, quem ſibi elegerat, gratiae & favori divino adſcribi debere, nec hoc parum facere ad nobilitatem illius, qui ex ſterilibus non ſine miraculo propagatus eſſet. (a) Iſaacus vero, cui matris ſuae, ad extremam fere aetatem ſterilis, exemplum ante oculos verſabatur: cui de prole promiſſio,

(a) *Theodoret. quæſt. in Gen. LXXV. T. 1. opp. p. m. 58.*

missio, ab eo data, qui fallere nequit & quem impossibile est mentiri, animo inhaerebat firmissime, patienter tulit quod noverat differri, non aufferri. Interea quoniam vidit *naturam claudicantem*, ut eleganter loquitur CHRYSOSTOMVS noster, (a) *ad naturae conditorem* confugit, & *vincula naturae* precibus solvere festinavit. *Oravit* ergo *Isaac pro uxore sua ad Dominum, quia sterilis erat.* (b) Oravit non semel iterumque (c) sed assidue, per viginti nimirum annos, intra quos Rebecca erat sterilis, quod CHRYSOSTOMO (d) probabile videtur. Quo magis enim dilatione accrescit desiderium, eo ardentiora emittuntur vota, & crescit precandi assiduitas. Iunxit & ipsa suas cum mariti precibus, quae, non minus ac ille pater, fieri nominarique mater optabat. An vero orans ex adverso alterum habuerit sibi oppositum, ut mutuo hoc aspectu preces fierent ardentiores, quod Hebraei quidam ex vocibus לנכח אשתו *e regione uxoris suae, ante, vel in conspectu eius*, evincere volunt, certo demonstrari non poterit. Placet nobis nihilominus iudicium B. LVTHERI (e) observantis, *Iudaeos* velle *orasse Isaac in directum uxoris: qui si publicus*, inquit, *mos fuit sic orandi, Rebecca ante ipsum recta stetit, aut in genua procubuit, cui ipse manus imposuit flenti & gementi, atque ita simul dominum deprecati sunt: si autem non receptus fuit mos, exponendum est spiritualiter, quod toto pectore & intentus in calamitatem uxoris oraverit: sicut quando oro pro aliquo, propono illum mihi in*

(a) *Hom. in Gen. XLIX. p. m. 551.* (b) *Gen. XXV. 21.* (c) *ib. vers. 26.* (d) *loc. cit p. 554. sq.* (e) *comment. in Gen.*

conſpectu cordis mei: & nihil aliud video aut cogito, in eum ſolum animo intueor. Sic Iſaac oravit propoſita uxore ſua in conſpectu. Quo vult ſignificare Moſes, orationem ardentem & intentam fuiſſe. Firmatur ſententia haec verbis illis: כי עקרה הוא *quia ſteritis ipſa:* indicatur quippe ratio, cur oraverit reſpectu uxoris, vel pro uxore, nempe ut Deus eam foecundaret. Quocunque tandem oraverint modo, id profecto certum eſt, eos agnoviſſe foecunditatem peculiare eſſe Dei donum. Quamvis enim ſparſa & quodammodo effuſa fuerit in genus humanum totum gratia gignendae ſobolis, cum vocem illam protulit Deus: *Creſcite & multiplicamini:* ut tamen ſciamus non fortuito naſci homines, varie gignendi gratiam diſtribuit. Iſaac ergo, quod in hominum arbitrio poſitum non eſt, a DEO petendum eſſe cum Rebecca ſua agnovit.

Audivit etiam DEVS, imo exaudivit has preces, & expectatione maiora conceſſit orantibus. Rogarunt filium, & Rebecca concepit duos filios. Sic DEVS vota fidelium, ſi e re eorundem id fuerit, gratia ſua ſuperare ſolet! Verum enim vero, quanto cum gaudio utriusque parentis hic coniunctus fuerat conceptus, tanta cum difficultate in progreſſu geſtationis uteri Rebecca conflictari neceſſum habuit. *Colidebant enim ſeſe filii eius.* וירוצצו HIERONYMVS (a) vertit & *movebantur.* Pro motione, LXX. interpretes poſuerunt ἐσκίρτων, id eſt *ludebant*, ſive, ut addit HIERONYMVS, *calcitrabant*, quod AQVILA tranſtulit *confringebantur filii in utero eius.*

SYM-

(a) *In quaeſt. hebr. in Gen. T. 3. p. m. 141. D.*

SYMMACHVS vero, referente eodem, διέπλεον, id est, *in similitudinem navis, in superficie ferebantur.* Ad ductum LXX. interpp. minus recte vocem hebraeam transferentium, AMBROSIVS (a) *exultabant*, AVGVSTINVS (b) *gestiebant* expossuit; hinc etiam nonnulli cum Ioannis exultatione in utero motionem illam contulerunt. SYMMACHVS elegantem respicit similitudinem a navi desumtam. Vt enim navis in mari de loco in locum movetur, rebus in illa contentis vel quiescentibus vel se moventibus; ita embryo cum utero in ventre matris ad motum huius localem similiter defertur, vel immotus vel varias exerens motiones. Sunt vero alii, qui apud SYMMACHVM legunt διεπάλαιον *colluctabantur*, quasi συμπαλαιστρίται sive inter se certantes. Omnes hi autores versione sua respiciunt motum aliquem, eumque vel ordinarium vel extraordinarium. Ordinarium non fuisse horum gemellorum motum, plura indicare possunt. Quamvis enim Rebecca nondum esset experta uterum fœcundum, atque adeo motuum illorum causas nesciviſſet, ab aliis tamen potuit intellexisse, quinam illi, quaeque eorum causae essent. Quis enim nescit admodum faciles esse plerasque mulieres matres iam factas, in recensendis fatis suis, & informandis iunioribus? Accedit, quod nec ipsa habuerit hunc motum pro naturali: si enim ita existimasset, cur adeo anxia fuisset & ad oraculum recurrisset in re ordinaria. Communiter qui-

(a) *Lib. de Isaac. c. 4.* (b) *lib. 1. super Gen. c. LXXII. T. 4. p. 23. idem de Civ. Dei l. 16. c. 35.*

quidem volunt, mares in utero matrum plus motus inferre quam fœminas, (quod tamen universaliter consentiente experientia vix dici poterit); itaque non simpliciter mirum esset, si duo mares in utero graviorem motum & molestiam efficerent. Sed illa non simpliciter motum sentiebat, verum aliquid ultra ordinem consuetum. (a) Illi, qui collisionem hanc cum exultatione Ioannis in utero materno conferunt, non dubitant illam pronuntiare extraordinariam, ob quam etiam volunt Iacobum aeque ac Ioannem in utero fuisse sanctificatum. Vti vero motionem extra ordinem esse factam agnoscimus, ita posterius nullo modo concedere possumus, nisi quis velit asserere, etiam Esavum in utero sanctificatum; cum utrique fuerit motus ille communis. Potest praeterea infantum horum collisio conferri cum praedicta Ioannis exultatione ratione causae efficientis, non ratione causae formalis & finalis. (b) Fuit omnino extraordinarius ille motus, peculiari Dei instinctu factus, atque hoc modo pari passu ambulat cum Ioannis motu, sed cum hic fuerit subsultatio, illic erat collisio & pugna quaedam: quassabant enim, trudebant & coarctabant se invicem, ac si uterque gestiret exire, mutuoque certarent de primogenitura; unde Iacob plantam Esavi tenuit. Fuit praeterea haec collisio proxime praesagium certaminis inter Iacobum & Esavum de iure primogeniturae. Alii eam quoque typum faciunt pugnae inter veram

(a) *Vid. Rivet. exercit. 113. p. 556.* (b) *Gerh. comm. in Gen. p. 502.*

ram ecclesiam & cœtum malignantium, (a) & RVPERTVS vult significari luctam christianorum cum iudaeis.

Sed quid Rebecca hoc rerum statu agit ? Novo isto motu perculsa, oratione interrupta, in haec prorupit verba: אם כן למה זה אנכי. *Si ita, ad quid hoc ego?* quasi diceret: si sic est, si tale quid mihi obventurum erat, ad quid hoc ego, id est, quare sum hac conditione ? Vel ut habet chaldaica versio Onkelos, interprete ARIA MONTANO : *Si sic mihi futurum erat, ad quid ergo concepi ?* Quidam muliebri impatientiae tribuunt hanc querimoniam, quae dolore vel cruciatu extorsa fuit, quasi cum Deo, vel cum marito indignabunda postulasset. Ad dolores respicit CHRYSOSTOMVS , ita scribens: (b) *Neque enim unus erat nasciturus, sed duos simul in utero pueros gestabat & ex angustia multum cruciatum sentiebat :* impatientiam tamen adscribere eidem non audet, sed potius laudat mulieris pietatem & religionem, Alii ergo volunt, illas voces fuisse expressas apprehensione portentosi alicuius partus. Si enim fratres iam in utero suo intestinum bellum gererent, quid non atrox tragicumque inde timeri deberet? Ab initio, inter haec insolita symptomata cum esset constituta, nesciebat quo se vertere debeat , unde firmum posset peti solatium. Postea vero, mente paululum a distractionibus liberata, omnibus aliis neglectis, recta via se convertit ad autorem horum mirandorum, certissimam ab eo expectatura explicationem.

(a) *August. serm. 78. de temp. T. 10. pag. 165.* (b) *loc. cit. hom. 50. p. 550.*

En *mulieris pietatem & religionem* ! dicit CHRYSOSTOMVS, (a) *Non enim fecit ſicut mulieres multae, quae negligenter vivunt, facere conſueverunt. Non ad humanum confugit ſubſidium, non ad eos, qui talia ſuis coniecturis, ſuaeque rationis obſervationibus indicare volunt : neque ſe expoſuit deceptioni curioſorum, & eorum qui pollicerì audeat, quae ſupra humanam ſunt naturam*, ſed abiit, ut conſuleret dominum.

Rebecca eſt illa quae conſuluit dominum, non Iſaacus, ut IOSEPHVS (*b*) in ſequentibus : *Defuncto autem Abrahamo, uxor Iſaac gerebat uterum: cuius mole creſcente indies, anxius conſuluit oraculum. Reſponſum eſt, gemellos ei parituram Rebeccam &c.* ſcripturae ſacrae minus convenienter ſcribit- Conſulere vero vel interrogare dominum nihil aliud eſt, quam in rebus dubiis divinum oraculum ſciſcitari, & conſilium ab ipſo Deo petere, vel *mediate* per ſacerdotes, prophetas & alios, quos Deus ad hoc ſibi facit familiares: vel *immediate* per ſeipſum. Stabilito apud Iſraelitas publico Dei cultu, qui in aliquo dubio verſabantur de re ſuſcipienda magni momenti, vel de aliquo eventu, quem ſcire intererat, certi eſſe cupiebant, oraculum ſciſcitabantur vel per Vrim & Thumim, opera ſacerdotum, vel per prophetas, vel per viſiones & ſomnia, ſine prophetarum miniſterio. Omnium meminit autor libri Samuelis, ubi de Saule dicit: (*c*) *Conſuluitque Dominum &*

non

(a) *Ibid.* (b) *Antiqq. Iud. l. 1. c. 18. p. m. 26.* (c) *1. Sam. XXIIX. 6.*

non respondit ei, neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per prophetas. Sic enim vulgata editio, cum in ebraeo textu legatur, *neque per Vrim*, quod illa vertit, *neque per sacerdotes*, qui scilicet per Vrim respondebant. Talem fuisse ordinariam rationem consulendi Deum ante legem non legimus. Sed de aliis per sacerdotes, sed absque Vrim, vel per prophetas, vel per somnia & visiones, in rebus gravibus, Deum suis non defuisse, credere par est. In determinando autem modo, quem Rebecca adhibuerit, non conveniunt doctores ecclesiae veteres recentioresque, cum scriptura eundem non expresserit, sed saltem dixerit: ותלך לדרש את יהוה *ivitque ad interrogandum Dominum.* Hinc recte scribit IO. CLERICVS: (a) Si nos docuisset Moses, qua ratione tunc consuleretur Deus, & quo pacto responderet, multo labore interpretes suos levasset. Cum verba scriptorum debeant intelligi, pro eorum aevo, nisi moneant ipsi aliam eorum esse sententiam; heic *ire consultum Iehovam* exponendum eo modo videtur, quo intelligebatur Mosis tempore. Eius autem tempore, *ire consultum Iehovam* dicebantur, qui prophetam Iehovae adibant, aut qui ab ipso Deo, si prophetae essent ipsi, rei cuiuspiam eventum sciscitabantur. Quanquam enim haec phrasis, hoc ipso sensu in Pentateucho forte non legitur, haud raro occurrit in aliis libris historicis, & duobus tantum illis modis consultum iis temporibus Deum, ex Mosaica historica liquet. Cum ergo Rebecca non videatur prophetis fuisse, ut ipsa Deum consuleret, videtur ad prophetam

 iviſſe,

(a) *Comment. in Gen. p. 106.*

iviſſe, qui Deum percunctaretur. Vt Moſes ait, populus ad me venit לדרש אלהים *ad conſulendum dominum* ſive de futuro ſive de lege, id eſt, ut per me cognoſcat Dei voluntatem; ſic etiam venerunt poſtea ad prophetam, ut ex eo cognoſcerent, quid Deus reſponderet ad quaeſita. Vide 1. Sam. IX, 9. 1. Reg. XIV, 5. XXII, 7.8. In his a CLERICO erudite alias deductis, id unum forte deſiderari poſſet, quod duobus illis modis Deum conſulendi adhuc addi queat unus & alter, cum etiam quis ſacerdotem adire potuerit, qui quidem non propheta, Deum tamen ſciſcitari ſolebat circa eventus, de quibus rogabatur, ut ex hiſtoria temporum Saulis & Davidis ſatis notum eſt. Videtur id ipſum eadem pagina agnoſcere Clericus. Praeterea ut hi modi fuerunt ordinarii, ſic forte ab initio, nondum conſtituta & ordinata republica & eccleſia Iſraelitica, immediate & extra ordinem poſtea conſuetum, viros fœminasque pietate inſignes Deum conſuluiſſe certo in loco, quo iverint, minime videtur repugnare.

Ad ſpeciales ergo autorum ſententias quando deſcendimus, CHRYSOSTOMVS vult, eam adiiſſe ſacerdotem quendam, quando ſcribit: (a) *Cucurrit ad veram ſcientiam & feſtinavit ad ſacerdotem Dei miniſtrum, per quem latentium ſcientiam volebat diſcere: & enarrans, omnia quae ſibi contigerant, didicit diligenter omnia miſericorde Deo, per ſacerdotis linguam detegente, ei omnia manifeſte & alacriorem eam reddente. Et vide quanta &*

tunc

(a) *l. c. hom. 50. p. 555.*

tunc erat ſacerdotum dignitas: Nusquam enim dicit, quod ſacerdos ei reſponderit, ſed poſtquam dixit: Abiit ut conſuleret Dominum: *ſubiicit*, & dixit Dominus ei, *nempe per ſacerdotem.* Haec autem ſententia AVGVSTINO (*a*) non videtur probabilis, cum ſacerdos non fuerit nominatus: *Quaeritur, quo ierit?* reſpondet: *Non enim erant tunc prophetae aut ſacerdotes ſecundum ordinem tabernaculi, vel templi domini. Quo ergo ierit merito movet, niſi forte ad locum, ubi aram conſtituerat Abraham. Sed illic quomodo reſponſa dentur, omnino tacet ſcriptura: utrum per aliquem ſacerdotem, quod incredibile eſt, ſi erat, non fuiſſe nominatum & nullam omnino ſacerdotum aliquorum factam eſſe mentionem.* Sed huic AVGVSTINI rationi forte reponi poſſet, quod in tam ſuccincta Moſis oratione, nec ab illo dare, nec a nobis expectare nomen ſacerdotis neceſſum fuerit. Dein licet ſacerdotum ſpecialis mentio nec alibi nominetenus facta ſit, id tamen exemplis Noachi, Iacobi aliorumque conſtat, domeſtica ſacra ab eo facta eſſe, qui caput familiae erat. Poſtquam ex multis familiis maiores cœtus in integrum populum coaluerunt, & pro toto populo ſacrificari coeptum eſt, ius ſacrificandi, modo vellet, penes principem coetus fuit. Sic Melchiſedecus & rex ſimul & ſacerdos erat. Quod ipſum exemplum oſtendit iam tum expreſſam fuiſſe factam alicuius ſacerdotis mentionem. Hinc quidam, referente THEODORETO, Cyri epiſcopo, (*b*) permoti ut ſtatuerent, ipſum hunc

(a) *Quaeſt. ſuper Geneſ. l. 1. c. 72. T. 4. p. m. 23.* (b) *loc. cit quaeſt. 76.*

Melchiſedecum, in Salem functionem ſacerdotii exercentem, illum eſſe, quem Rebecca ad conſulendum dominum adierit. Etiam AVGVSTINVS l. c. de eo quaerit: *an adhuc vivebat Melchiſedech, cuius tanta fuit excellentia ut a nonnullis dubitetur, utrum homo an angelus fuerit?* huic vero quaeſtioni nullam addit reſponſionem. Placet eadem opinio IACOBO SALIANO Avenionenſi presbytero S. I. in annalibus eccleſiaſticis V. T. ex duplici capite, quod nec aetas repugnet & locus faveat. (*a*) Sed licet Melchiſedecus illo tempore adhuc vixerit, locus tamen non favet; cum illius habitatio multis miliaribus diſtaret a loco habitationis Iſaaci. Sunt & alii, qui Rebeccam ad Semum patriarcham, quem in vivis adhuc ſuperſtitem viguiſſe putant, abiiſſe cenſent. Ita chaldaei paraphraſtae Targum Ionathan: *Abiit ad ſcholam Semi magiſtri ad imperandum precibus miſericordiam a facie Iehovae.* Targum Hieroſol: *Abiit ut peteret miſericordiam in domo, ubi concionabatur Sem.* Eandem quoque ſententiam fecit ſuam B. LVTHERVS. (*b*) Fundatur praecipue haec opinio in eo, quod Semus cum Iſaaco non duntaxat, ſed etiam cum Iacobo diu vixerit. In chronologia enim hebraeorum maiori, quae *Seder Olam Rabba* inſcribitur, legimus, (*c*) Iacobum verſatum eſſe cum Sem annis quinquaginta, & hac ratione omnino eum potuiſſe conſuli. Huius vero erroris cauſas indicavit SALIANVS (*d*) ad

annum

(a) *Tom. I. ad ann. 2198. p. 267.* (b) *loc. cit. add. Maimonid. in More Nevochim part. 2. c. 41. p. 309.* (c) *pag. 6. ex edit. Genebrard.* (d) *loc. cit. p. 254.*

annum MM CLVIII, quo Semum mortuum cum aliis chronologis (*a*) ſtatuit, & ſic quadraginta annos ante nativitatem Iacobi, quam in annum MM CXCVIII, collocat. (*b*) VSSERIVS annum mortis Semi retinet, ſed Rebeccam parientem refert ad annum MMCLXVIII. ut adeo is cum Iſaaco per quinquaginta annos vixerit quidem, ſed a Rebecca adiri eo tempore non potuerit. Praeterea ſi vel maxime tunc vixiſſet, longe tamen remotus erat ab illis partibus, in quibus Iſaacus cum uxore degebat.

Sed forte fuerunt alii, quos eo tempore conſulere potuit Rebecca. Etiam de his dubitavit AVGVSTINVS, (*c*) ita ſcribens: *an erant aliqui tales etiam illo tempore homines Dei, in quibus poſſet Deus interrogari?* Hos inter quidam putarunt fuiſſe HEBERVM qui ſpiritu prophetiae donatus creditur in praedicenda diviſione terrarum (*d*) & adhuc in vivis fuit annos novemdecim, (*e*) quippe qui quadragintos ſexaginta quatuor annos vivendi complevit, ut habetur in catalogo patriacharum. (*f*) Sed unde conſtat, ipſum in hiſce terris Cananaeorum habitaſſe? Contra hanc Saliani reſponſionem excipit quidem P. IACOBVS BOVLDVC, *Pariſinus ordinis FF. minorum Capucinorum olim praedicator*, (*g*) Heberum fuiſſe caput ſoda-

(a) *Add. Vſſer. in annal. p. 6.* (b) *Salian. l. c. p. 267.* (c) *loc. cit.* (d) *Hieron. in quaeſt. hebr. Maimon. l. c.* (e) *Salian. l. c. p. 272. Vſſer. l. c. p. 7. ex diverſo licet calculo.* (f) *Gen. 11, 16. ſeq.* (g) *in lib. 3. de eccleſ. ante legem c. 6. p. 364, edit. Pariſ. 1630. 4.*

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id427770424/15 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

ſodalitatis hebraeorum, dein Sem eſſe Melchiſedecum; proinde decuiſſe, ut ſicut iſte manſit inter Cananaeos ad obeundum munus ſuum in terra promiſſionis: ſic ille ad conſervandum filiorum Dei & prophetarum ſodalitium in eadem regione maneret, in qua ſemper remanſit vera religio. Verum enim vero laborat haec exceptio multis falſis hypotheſibus, ab autore aſſumtis, quas hac vice ad examen vocare nobis integrum non eſt. Praeterea, ſi alio fuiſſet pergendum ad prophetam aut ſacerdotem aliquem, rogaſſet potius Iſaacum, ut hoc iter ſuſciperet, cui tunc apta non erat, in ſtatu uterum gerentis mulieris; id autem factum non eſſe indicant textus verba, Rebeccae hoc negotium tribuentia. Denique ſi aliquis ex illa aetate vir ſanctitate celebris eſſet eligendus, non abſurde de Abrahamo cogitari poſſe iudicat B. GERHARDVS, (a) utpote propheta domini, (b) quique ab eo tempore quindecim annis ſuperſtes adhuc manſit. IOSEPHVS quidem ſcribit, (c) Abrahamo defuncto uxorem Iſaaci demum geſſiſſe uterum; ſed cum ipſemet paulo ante ſcripſerit Abrahamum vixiſſe centum ſexaginta quinque annos, & in ſcriptura luce clarius ſit Iacobum & Eſavum natos Iſaaco ſexagenario & ex eadem quoque clariſſime conſtet Iſaacum centenario patre natum eſſe, neceſſario ſequitur Abrahamum hoc tempore centum ſexaginta annorum fuiſſe, atque ideo quindecim vi-

(a) *Comment. in Geneſ. p. 502.* (b) *Gen. XX. 7.* (c) *loco ſupracitato.*

vitae annos eidem ſuperfuiſſe. Sine dubio Ioſephum fefellit, quod vidit ſcripturam prius mortem Abrahami, quam ortum Iacobi retuliſſe.

Quemadmodum vero autores in eo variant, *per quem* Rebecca dominum conſulerit, ita etiam ratione *loci*, quo illa abiiſſe putatur, non convenire poſſunt. AVGVSTINVS heic iterum dubitat, & nihil aſſerit. (a) *Quo ergo ierit merito movet, niſi forte ad locum ubi aram conſtituerat Abraham.* THEODORETVS (b) veriſimile putat, eam ad aliquod patriarcharum altare abiiſſe. *Cum ſolerent patriarchae altaria Deo quibus in locis habitabant conſtruere, veriſimile eſt, illam ad unum ex his profectam ſupplicaſſe Deo omnium, & quae futura erant cognoviſſe.* Qui pro Melchiſedeco, quaſi ad hunc illa venerit, ſcribunt, illi eandem adiiſſe montem Moria, in quo ſacrificaverat Abraham contendunt. GILB. GENEBRARDVS Pariſienſis theologus, divinarum hebraicarumque literarum profeſſor olim regius ſcribit, (c) a Ioſepho memorari, *Melchiſedecum templum in Salem extruxiſſe, in quo eſſet eccleſiae ſedes primaria, Deique oraculum, de quo fortaſſis Gen. XXV: Perrexitque Rebecca, ut conſuleret dominum.* Sed fateor, me locum illum in Ioſephi libris nondum potuiſſe invenire. BOVLDVCVS, (d) in ſumendis & ponendis admodum liberalis & facilis, ut ſtatim Adami tempore loca ſacris deſtinata, clauſa atque fixa ſtatuit, ita patriarcharum, maxime Abrahami, aevo tabernacula ſacra

(a) *loc. cit.* (b) *loc. cit.* (c) *Chronograph. l. 1. p. 72.*
(d) *loc. cit. p. 365. ſq.*

ad invocandum nomen domini, ad ſacrificandum, ad conſulendum eius oraculum, ad loquendum facie ad faciem &c. ordinata, & ad horum formam tabernaculum Moſis factum eſſe, ſibi aliisque perſuadere voluit. Ad ſacrarium igitur talis tabernaculi, quod vel Abraham vel ipſe Iſaacus fixerat in loco iuxta puteum viventis & videntis, perrexiſſe Rebeccam firmiter credit. Si haec ratione loci huc usque adducta rite perpendamus, prioribus idem reponimus, quod ſupra a nobis dictum, Rebeccam gravidam & partui forte vicinam non potuiſſe tanti itineris moleſtias perferre. A poſteriori autem non qualescunque ſequelas & coniecturas, ſed firmiores expectamus rationes. Non enim fit legitima collectio a ſacrificiis peractis ad loca ſacra clauſa & fixa, nec a tabernaculis & tentoriis, ad quoscunque uſus deſtinatis, ad tabernacula ſacris unice dicata. Probabilior ſane reliquis omnibus *illa* videtur eſſe ſententia, quae vult Rebeccam vel ad prophetam aliquem non longe diſtantem vel ad ſecretum aliquem locum conceſſiſſe, ſive domi ad altare domeſticum vel in vicinia iuxta puteum viventis & videntis, & precibus ardentibus ad Deum fuſis, reſponſum accepiſſe, vel in ſomno, vel in vigilia per extraordinariam aliquam illuſtrationem, vel per vocem aliquam coelitus emiſſam, vel angeli alicuius miniſterio. (*a*) Probata haec opinio fuit, teſte Saliano, & antiquis DIODORO Tharſenſi, PROCOPIO GAZAEO, THEODORETO quoque ſuperius citato, ſi altare intelligat in vicinia

(a) *loc. cit.*

nia erectum, nec non recentioribus PERERIO, (a) MARTDELRIO, (b) SALIANO, (c) RIVETO, (d) CALOVIO (e) & aliis. Ceterum, si alicui nihil horum placuerit in AVGVSTINI (f) modestia lubentes aequiescimus: *Quicquid horum est, & siquid aliud, quod me forte ne commemorarem praeterierit: mentiri tamen scriptura non potest, quae dixit Rebeccam iviſſe ad interrogandum Dominum & Dominum respondiſſe.* Certum est & necessarium credere, illam iviſſe ad interrogandum Dominum: hoc enim scriptura expresse dicit. Certum est & necessarium credere, Deum respondiſſe: cum & hoc scriptura diserte proferat. Certum est & illud, eam legitimo inquisiviſſe modo, sine quo nec Deo placuiſſet, nec ab eo responsum tuliſſet. Modum autem illum determinare, quinam praecise is fuerit, cum res sit facti, in scriptura non consignati, a nobis nec fieri, nec postulari potest.

Miramur ergo, qua ratione COMESTOR, historiae scholasticae autor, modum aliquem fuerit ausus in omnibus definire circumstantiis, ac si ipse adfuiſſet spectator, imo audiviſſet, quid Iuppiter huic Iunoni in aurem dixerit. Secundum ipsum enim Rebecca ivit ad montem Moria, & factis ibi victimis in holocaustum, posuit se super pelles sacrificiorum ad dormiendum, ut in somnis a Deo veritatem audiret. Et ne phantasticis somniorum illusionibus falleretur, sed a

(a) *comm. in Gen.* (b) *gloss. liter. ad c. 25. Gen. p. 345.* (c) *loc. cit.* (d) *loc. cit p. 557. Comm. in Gen. p. 1029.* (e) *loc. cit.*

Deo nuda veritas patefieret, folia lauri, quæ tripodes vocant & folia agni casti, quæ est herba somniorum obvians phantasiis, capiti suo suppositit: & sic dormiens a Deo responsum accepit. Maxume autem miramur Boulducum (a) supra nominatum, qui non tantum Abulensi videtur obiicere, quod per se non ausus fuerit tam inaudita proferre, sed per alium, Comestorem scilicet responderit; verum etiam nullatenus curiosum aut supervacaneum putat quaerere, quo ordine quove modo Rebecca se habuerit ad consulendum dominum? imo potius *utilitatis plenum esse, ac perneccessarium ad multorum scripturae locorum intelligentiam, quae usque nunc (ausim dicere) iacuerunt in tenebris.* Primum quaeso concedite locum huic doctori, quotquot in ecclesia latina & graeca, orientali & occidentali, olim & nunc, per omnem saepe vitam scrutinio scripturae incubuistis! Audite huc usque inaudita, & pro tanto invento centum illi mactate boves! Primus probare vult, quod ante illum nemo, dormivisse Rebeccam super ramusculos arborum, vel etiam lauri & agni casti, absque ulla superstitione ad veri Dei quaerendum oraculum, ibique dormientem responsum accepisse.

Adgredirur ergo hoc negotium toto capite septimo libri tertii, (b) & rem ab ovo, suo quidem iudicio, vult repetere. Scilicet divinae gloriae aemulus diabolus Deo proprios, & ab ipso sibi praescriptos honores semper usurpare

(a) *Loc. cit. p. 367. sq.* (b) *p. 368. sqq.*

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id427770424/20 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

re ſtuduit, ut ſpecie falleret pietatis. Et tanto id libentius fecit, & facilius, quanto in ſacris literis ſub brevitatis ſtylo, & obſcuritatis involucro antiquos ritus ac myſteria profundius videbat abſcondita: quorum veritatem facile ſub fabulis occultare ac deturpare poſſe putabat. Adducit eum in finem, cultum ſerpentum, ignem perpetuum, ſolis quadrigas, ſortes & alia apud gentiles in ſacris uſitata, ex Dei autem vel factis vel ſtatutis, in ſcriptura ſacra conſignatis, citra dubitationem deſumta. Inter haec quoque refert celeberrimum ac creberrimum iſtum ritum conſulendi Deos, cubando ſuper arborum ramuſculis. Quanto autem iſta ſciſcitandi a Diis reſponſa conſuetudo, ritus ac modus frequentior & uſitatior reperitur apud autores, tam ſacros, ut ipſe credit, quam profanos: tanto credibilius illi videtur, unam fuiſſe ex praecipuis ceremoniis, quam veri Dei ſimia diabolus ex ſacris veraereligionis ritibus furari voluit; quemadmodum de multis aliis conſtat, utpote de lucis, excelſis, altaribus, ſacrificiis & aliis, quae longum eſſet deducere. Vt vero verbis ſuis fidem faceret, provocavit ad locum quendam in Iobi hiſtoria notatum. (a) *Et ad me verbum furtive dictum eſt: ſuſcepit auris mea puſillum ex eo, in ramuſculis a viſionibus noctis, in cadere ſoporem ſuper Enoſcim.* Inſignis illi audit hic locus iuxta haebraeum, neglecta ad tempus vulgata verſione, quae ipſi non favet. Verba ſunt Eliphazi, ſecundum ipſum prophetae apud

(a) *Iob. IV. 12. ſq.*

Idumaeos, ſicut Iobus, quae protulerit annos circiter 200. poſtquam Rebecca pro infantibus conſuluit dominum; quibusque intenderit probare ſe veram a Deo revelationem accepiſſe. In iis porro vult obſervari quatuor circumſtantias: nempe, quod *noctu*, quod videre eſt in Samuele & in Balaam, qui *noctu* Deum conſuluerunt, retinentes apud ſe eos, qui ad ſe venerant; ideo Deus apud prophetas ſaepe dicitur *ſe de nocte ſurrexiſſe*, (a) nimirum ut ſe conſulentibus reſponderet: *ſecundo*, quod *tempore gravis ſoporis*, ut ſolet evenire Enoſcim, id eſt, prophetis, ceu in ſopore Abrahami id conſtare opinatur: *tertio*, quod tenuiſſimo ſuſurro & ad aurem: quod *denique* ipſi ſuper ramuſculos arborum decumbenti factum eſt. Vrget poſtea vocem hebraeam, ab Eliphaz adhibitam שעפי, quae teneras arborum extremitates importet & in alio eiusdem libri loco (*b*) in verſione vulgata vertatur *cogitationes:* quo paſſim modo ſumatur ac transferatur ab aliis expoſitoribus in verbis illis Eliphazi: quaſi per metaphoram cogitatio ſit ramus cordis; ideo PAGNINVS tranſtulit, inter cogitationes quae oriebantur e viſis nocturnis. Altius tamen illi deducenda videtur iſta translatio. Pomponius enim Sabinus exponens *illa* verba Æneid. 3.

— *& mugire adytis cortina reclusis*

notat veteres latinos *cortinare* dixiſſe, pro *cogitare*, *& cortinionem*

(a) *Ier. XXV. 3. XXVI. 5. XXIX. 19.* (b) *Iob. XX. 2.*

nem pro *cogitatione* a nomine *cortina*, quod ſignificat tabulam ſuperimpoſitam tripodibus Apollinis, quibus oracula reddebantur. Cum autem iſta tabula ſit clathrum ex ramuſculis contextum, ſuper quod propheta decumbebat, ut oracula ſciſcitaret: quis non perſpicit antiquos illos latinos imitari voluiſſe ſacros ſcriptores hebraeos, apud quos viderunt ramuſculos, ſuper quos prophetae decumbebant, & ſanctas cogitationes, ſeu revelationes, quas per illas quodammodo hauriebant, eodem appellari nomine? Porro ex profanis ſcriptoribus producit IVVENALEM, (*a*) qui de illo Iudaeorum ritu, praeſertim de iſto ad aurem ſibilo, ac decubatione ſuper ramuſculos ſequentia habeat:

Arcanam Iudaea tremens mendicat in aurem
Interpres legum Solymarum & magna ſacerdos
Arboris ac ſummi fida internuntia coeli.

Per ſacerdotem & interpretem legum Solymarum, id eſt, Iudaeorum intelligit Moſen, de quo STRABO (*b*) ſcribit: *Docebat eis, qui caſte ac iuſte vivunt bona ſomnia offerri; debere itaque pro ſe & pro aliis eos dormire in templo, & a Deo ſubinde aliquod bonum aut ſignum exſpectare, ceteris nihil ſperandum.* Ille ergo Moſes mendicat ad aurem fida internuntia arboris & coeli: hoc eſt oracula coeli per arborem, Sed quomodo hoc fit per arborem? dicit Claudianus: (*c*)

Caeſa

(a) *Satyr. 6.* (b) *lib. 26.* (c) *in Paneg.*

— Caesa Tomiri Iovis augure loco
Arbore praesaga tabulas animasse loquaces.

Quid autem aliud sunt istae tabulae loquaces, quam mensae instructae ad cortinae similitudinem ex virgulis laureis? nihil aliud sunt, quam illi tripodes, quos vocant Apollinis. Dein, ut Commestorem suum presse sequatur, etiam de ramusculis, super quos recubuerit Rebecca, id est, *foliis lauri & foliis agni casti*, aliquid commentari voluit. Et primo quidem de illo frutice, qui & vitex a vinciendo & ab invicta fere ramorum flexibilitate lygon appellatur, & a LXX. Interpp. ἄγνος ἁγνὸς, id est, agnus castus, ita dictum esse monet, quasi ἀγόνος, quod calore & siccitate genituram dissipet; hinc secundum Dioscoridem, (a) huius foliis ramusculisque cubitum sibi stravisse matronas Athenienses in Thesmophoriis, id est, Cereris sacris, pudicitiae conservandae causa. De lauro autem PIERIVS in hieroglyphicis (b) legisse asserit apud Serapionem Ascalonitam, lauro ad dormientium caput apposita vera videri somnia, id ipsumque Antiphonem, Philocrum & Artemonem, qui de somniorum interpretatione scripserunt, asseveravisse testatur. Apud Hesiodum interpres Theogoniae laurum ait ἐνεργεῖν πρὸς τὰς ἐνθουσιασμὰς *efficacem esse ad afflatum poetici furoris.* Ne vero haec talia absque scriptura sacra dixisse videatur, duos psalmorum titulos adducit, in quibus duo insignes cantores, qui & prophetae, viden-

(a) *lib. 1. c. 16. cum comment. Mathiolip. 173.* (b) *lib. 50.*

videntesque in ſermonibns domini appellantur, *Eman* & *Ethan* vocantur *Eſrahitæ*. Prior titulus pſalmi (*a*) talis eſt; *Intellectus Heman Ezrahitae*, alter vero: (*b*) *Intellectus Ethan Ezrahitae*. Dum vero in cauſas inquirit, cur iſti duo viri vocentur Ezrahitae, vix aliquis reperitur, qui illi plene ſatisfaciat, hinc quod ſentit veriſimillimum dixit. Putat ſcilicet, nomen hoc appellativum eſſe ac commune tam Heman & Ethan quam aliis, &derivari ab זרח, quod arborem ſignificat, quae ob ſuam pulchritudinem & virorem manifeſta eſt, quam alii *laurum* eſſe dicunt; & ſic *Ezrahita* idem eſſet ac *laureatus*, vel *laureoſus*, vel etiam *Laurentius*, vel *utens lauro*. Quemadmodum apud ethnicos vates dicebantur Δαφνηφάγοι, id eſt, *lauri manducatores*; ſic *Heman* & *Ethan* cognominatos putat *Ezrahitas*, id eſt, *laureoſos*, vel *lauro utentes*, eo quod eſſent conſultores ſeu prophetae, qui ſolerent decumbere ſuper lauri ramuſculos, vel ſuper clathra lauri ramuſculis intertexta, ut puriora eſſent eorum ſomnia, in quibus Deus voluntatem ſuam oſtendebat & manifeſtabat eis; quod inde collegit, quia Heman appellatur *videns regis in ſermonibus Dei*: quaſi diceres: erat propheta, qui ſolebat pro rege, vel cum regis urgebant negotia, conſulere, quid Deus per oraculum reſponderet. Tandem ut ex his commode ad Rebeccam redire poſſit, ſequentem in modum concludit. Quod ſi Heman eſt Moſes, Ethan vero, ad cu-

(a) *Pſ. LXXXVIII. 1.* – (b) *Pſ. LXXXIX. 1.*

ius mentem cantabatur Pſalmus LXXXIX. qui de Chriſto totus eſt, fuit Abraham, ut vult HIERONYMVS, (a) nihil mirum, ſi Rebecca ut conſuleret dominum, dormiverit ſuper ramuſculos lauri: nihil enim aliud faciebat, quam quod patrem Ezrahitam & laureoſum Abraham ſaepe viderat facientem, & ab illo facere didicerat. Et ſic proprie conſulebatur Deus per ſomnia, a quibuslibet perſonis etiam foeminis.

Si haec ex BOVLDVCO, Comeſtoris ſententiam probante, excerpta in compendium contrahamus, eo tandem omnia redeunt, diabolum eſſe Dei ſimiam, eundem multa, quae Deo propria, ſibi tribuiſſe, varia eccleſiae Iſraeliticae inſtituta ad gentiles tranſtuliſſe, & haec inter etiam modum conſulendi Deum vel deos. Quod vero hic ritus apud prophetas aliosque viros ſanctos obtinuerit, ex verbis Eliphazi probare vult, in quibus praecipue urget ramuſculos & אנשים, quos ipſe prophetas interpretatur, quemadmodum etiam ramuſculos illos fuiſſe laurum & agnos caſtos contendit. Laurum autem prophetas adhibuiſſe, exemplo Heman & Ethan Ezrahitarum, quos *laureatos* dicit, probare conatur. Cumque porro illi Heman ſit Moſes, & Ethan Abraham, facili methodo ſe colligere poſſe putat, Rebeccam in ramuſculis illis cubantem divinum accepiſſe reſponſum. Plura in hoc diſcurſu ad examen revocari poſſent, ſi tem-

(a) *in Trad. hebr. in 3. Reg. c. 4.*

temporis modo limites, quibus circumſcripti ſumus, id nobis hac vice permitterent. Conſiderabimus nihilominus ea, quae aliquam videntur habere ſpeciem ad inferendam concluſionem, ab autore ſibi propoſitam. Primo ergo, nolumus ſimpliciter illud, quod vulgo dicitur, *diabolus eſt Dei ſimia* reiicere, quod IO. SPENCERVM (*a*) feciſſe ſcimus; cum omnino multa ſint, quae a Deo data leguntur patriarchis & populo Iſraetico, poſtmodum vero in ſacris gentilium tam clare deprehenſa, ut non niſi aemulatione quadam, nonnullis tamen vel additis, vel ſubtractis, eo translata fuiſſe colligantur. Eleganter TERTVLLIANVS: (*b*) *Diaboli ſunt partes intervertendi veritatem, qui ipſas quoque res ſacramentorum divinorum, in idolorum myſteriis aemulatur.* Et BASILIVS M. in re quidem alia: (*c*) *fur enim diabolus & noſtra extra nuntians, ad ſuos hypothetas transfert.* Monſtravit id erudite in praecipuis capitibus (*d*) IO. FABRITIVS theologus Norimbergenſis peculiari diſſertatione (*d*) in academia Ienenſi ſub B. DILHERRI praeſidio habita. Quamdiu ad talia reſpicit Boulducus, quae expreſſe in ſcriptura S. ita continentur, ut, his ſimilia in gentilium ritibus ſacris extare, harum re

 rum

(a) *De legib. hebr. l. 3. c. 2. p. m. 797. c. 12. p. 928. ſq.* (b) *de praeſcript. c. 40.* (c) in illa verba: *in principio erat verbum. Ioh. I. 1.* (d) cuius titulus: *Dei Simia, diabolus*, ſive *Cacozelia gentilium, & habetur in B. Diherri diſpp. acad. T. 2. p. 162. ſqq.*

rum etiam parum gnaro absque prolixa probatione constare possit, nullas illi lites movere necessum habemus. Quando autem quidam multo labore desudant, ut minima quaeque in sacris exterorum animadversa ex divinis derivent literis, iis subscribere nondum possumus; cum, ut alia nunc taceam, in generalibus quibusdam, forte ex naturae etiam lumine notis, dari possit aliqua affinitas & convenientia, quae tamen non statim ab alio transsumta dicemus. Multo minus eos probamus, qui talem videntur instituere collectionem: gentiles habuerunt inter ritus consulendi oracula etiam cubationem in ramusculis: diabolus autem vel gentiles suas in sacris ceremonias ex religione hebraeorum sumserunt, quapropter mos ille cubandi in ramis vel foliis lauri & agni casti, apud hebraeos quoque obtinuit, quando Deus erat consulendus, licet sacra scriptura nullam nec expresse nec implicite eius faciat mentionem.

Non quidem Bovldvcvs videri vult ex eorum numero esse, qui posteriorem constituunt classem, dum ad verba Eliphazi in historia Jobi provocavit, in quibus ritum illum expresse notatum, non vero aliunde in textum putat illatum; sed quo penitius quis locum illum inspicit, eo pauciora in illo deprehendet; nisi quis solum Bouldvcum tam perspicacem fuisse dicere velit, reliquos omnes cœcutientes. Nihil nunc de persona Eliphazi eiusque officio dicemus, neque eidem reve-

revelationem obtigiſſe negabimus; quamvis inde non ſtatim propheta ſtricte ſic dictus ſalutari poſſit. (a) Nihil quoque de aetate Jobi & Eliphazi nunc erit diſputandum, cum haec omnia ſint prolixa, difficilia, & propter autorum diverſas hypotheſes ſaepe etiam dubia. Alii enim utrumque faciunt vel Moſe inferiorem, vel eidem contemporaneum, vel eodem longe antiquiorem, cum Abrahamo ſcilicet, aut Iacobo, aut epocha ſervitutis in Ægypto coniungendum; de quibus videri poteſt SPANHEMIVS in libro *de antiquitate & obſcuris hiſtoriae Iobi.* (b) Duo duntaxat ſententiae, quam fovet, firmamenta, cui reliqua omnia ſunt ſuperſtructa, paucis ſpectabimus. Alterum illorum ponit in אנשים, alterum in שעפים. Quod priorem concernit vocem, eam latine explicat per ENOSCAEOS, quos a patriarcha Enos deducit, eosque conſtituiſſe dicit peculiarem religioſorum ſodalitatem, reliquis omnibus, quas finxit, antiquiorem & ſtrictioris diſciplinae obſervantiorem, Carthuſianae familiae reſpondentem. (c) Pluribus deſcribit eorum veſtitum, vel ex parte vel ex toto pelliceum, modum vivendi rigidiorem aliquot capitibus conſtantem, vitam contemplativam, conſtantem per plus quam ſexcentos annos ſub eodem nomine ſucceſſionem, & alia, quae omnia perſpectiſſima habuit. Hos ergo

(a) *Maimonid. l. c. p. 308.* (b) *cap. 8. & 9. & habetur in T. 2. opp. p. 59. ſqq.* (c) *Bouldnec. l. c. l. 1. c. 13. & 15.*

Enoſcaeos, cum fuerint filii Dei & diſcipuli ſive filii Enoſchi, omnes voluit eſſe prophetas. Hac hypotheſi ſuffultus, colligit in verbis Eliphazi vocem אנשים quoque denotare prophetas, & eum habuiſſe revelationem tempore gravis ſoporis, ut ſolet evenire אנשים id eſt prophetis. Sed ſi vocem illam perpendimus אנוש primo erat nomen proprium, poſtea factum, ut אדם, nomen commune, quod denotat miſeria plenum. In ſcriptura communiter tribuitur omnibus hominibus: ſunt enim illi revera *Enos*, ſeu filii *Enos*, pleni miſeriarum. (*a*) Plurale אנשים in regimine אנשי interdum adoptat ſignificationem איש *vir*. Hunc vocis uſum ſi ſequamur, Eliphaz nihil aliud voluit indicare, quam temporis circumſtantiam; obtigiſſe ſcilicet illi revelationem eo tempore, *quando ſopor irruit in homines*. Agnovit huius vocis ſignificationem, *Boulducus*, ſed eum ad numerum duntaxat ſingularem reſtringit: in plurali vero ſi occurrat, vix pro aliis uſurpatam putat, quam pro illuſtribus & ſpectabilibus viris, ſive divino miniſterio mancipatis, ut erant levitae, ſacerdotes & prophetae, ſive aliqua ſeculari dignitate conſpicuis, aut in bello ſtrenuioribus, qui ab Enoſcaeorum tempore honoris & excellentiae acceperunt notionem. Imo credit, quod, ubicunque vox אנשי reperitur, non ſit in regimine, ſed vere

(a) *Pſ. VIII. 5. CXLIV. 3.*

re nomen paronymicum, nullos alios viros significans, quam Enoscaeos, quorum institutum longe lateque diffundebatur, & nomen apud Israelitas erat illustre. Verum enim vero dabimus aliquid Boulduco, אנשים homines in genere & interdum viros praeclaros (*a*) notare; id autem nunquam probabit, vix pro aliis usurpari: cum etiam debiles, plebeios & humiles significet; sic e. g. בשבט אנשים (*b*) id est, *virga senum* vel *hominum debilium*: quemadmodum enim senex ictibus & verberibus debilibus caedit, ita etiam Deus filios suos plagis levioribus castigat. Similiter, si quandoque אנשים coniungitur cum אלהים, denotat homines plebeios & vulgares, ut posterius magnates, ceu videre est ex psalmo secundum TREMELLIVM: (*c*) *tum nati* plebeio *homine*, *tum nati* praeliante *viro*; *simul dives & egenus*. Sic apud EZECHIELEM (*d*) legimus לחם אנשים *panem hominum*, sive quem alii homines solent in luctu comedere, sive panem miserorum. Haec & similia loca assertionem Boulduci infringunt. Praeterquam vero, quod scriptura non favet huius viri hypothesi, etiam nulla est in illius deductione vel applicatione sequela. Enos vir pius habuit discipulos sive filios prophetarum, ergo illi fuerunt religiosi, certum formantes ordinem ecclesiasticum. Recte de his iudicavit B. DANNHAVVERVS: (*e*) omnia per coniecturas ruere, nihil per consequentiam aut claram historiae literam fluere

(a) *Esa. V. 12. Gen. VI. 4.* (b) *2. Sam. VII. 14.* (c) *Ps. XLIX. 3.*
(d) *c. XXIV. 17.* (e) *in Polit. bibl. sect. 1. §. 3. p. 7.*

fluere. Verum esse hoc beati viri iudicium, quivis facile deprehendet, qui modo novit, quid litera expressa sit, quidque regulae bonae consequentiae requirant.

Porro maximum in שעפים quaerit subsidium. Si enim Eliphaz ea expertus est, quae prophetis contingere solent, si in ramusculis cubans verbum furtive accepit, rem confectam putat omnem, ex qua Rebeccae modus consulendi dominum colligi possit. Vox סעיף si proprie sumitur, denotat ramum, summitatem seu prominentiam arboris, (a) per metaphoram vero accipitur pro petrae prominentia, sive scopulo ramum altae arboris referente, sive fissura petrae; (b) dein etiam pro cogitationibus, quae in corde sunt, sicut ramus in arbore hinc inde diffusus, ut quidam illustrare volunt; qua ultima significatione non tantum per ס, (c) sed & per ש scribitur in citatis verbis Eliphazi nec non responsione Sophar. (d) Certum est, quod vox illa notet cogitationes, quamvis incertae saepe sint significationum rationes. Hanc vero significationem metaphoricam eligimus praepropria, cum nos materia substrata & aliae circumstantiae textus a vocis proprietate recedere cogat, in quo passu habemus consentientes doctores hebraeos & christianos. Sive enim cum quibusdam dicamus, occasionem indicari revelationis, quod Eliphasus in animo versaverit visiones noctur-

(a) *Esa. XVII. 6. Ezech. XXXI. 6. 8.* (b) *Iud. XV. 8. Esa. LVII. 5.* (c) *1. Reg. XVIII. 21 Ps. CXIX. 113.* (d) *Hiob. XX. 2.*

ćturnas cum attentione atque deſiderio intelligendi & precibus; (*a*) ſive cum aliis ſtatuamus temporis circumſtantiam notari hoc loco, talemque eſſe verborum ſenſum & cum ſequentibus connexionem: quo tempore exiſtere ſolent cogitationes viſionum nocturnarum & quo tempore ſomnus altus ſolet cadere ſuper homines &c. (*b*) non alia praeter metaphoricam acceptionem admitti poterit. Si vero urgeat BOVLDVCVS propriam vocis ſignificationem, a qua non ſit recedendum, agnoſcimus quidem regulam illam hermeneuticam, ſed cum limitatione, *niſi nos neceſſitas cogat*, quam iam ante indicavimus. Eam reſtrictionem ſi vir ille attendiſſet, a propria vi vocis אנשים non receſſiſſet, nec per Enoſcaeos reddidiſſet. Propriam tamen praé altera hoc loco eſſe retinendam putabit, quia gentiles hunc morem cubandi in ramuſculis lauri & agni caſti habuerunt, ſine dubio ex imitatione hebraicorum rituum. Sed hoc fundamentum ſupra iam fuit deſtructum, nec ſequelam admittimus, ab eo, quod inter gentiles obtinuit, ad id, quod apud hebraeos ſimiliter eſſet ponendum. Nolumus ad ea excurrere, quae de lauro & agnis caſtis habet, alias & his ex hiſtoria & ſcientia plantarum quaedam opponi poſſent. Potius id conſiderabimus argumentum, quod ab Heman & Ethan Ezrahitis, *laureatis*, *laurentiis* &c. quaſi ab אורח, (quam vocem quidam in pſalmo (*c*) per *laurum* vertunt) dictis, ad theſin ſuam de

(a) *Coccei. in Iob. IV. 13. p. m. p. 406.* (b) *Seb. Schmid. in Iob. p. m. 138. ſq.* (c) *Pſ. 37, 35.*

cubatione in ramuſculis probandam aſſumere voluit. Poſſemus primo illi opponere omnes autorum ſententias, quae vel a patria vel a familia illam appellationem deducunt, ut his prius ſatisfieret. Dein אזרח a verbo זרח *oriri*, *& ſpargere & diffundere ſeſe* deducitur atque inde duplicem habet notionem, & pro eo qui inde ortus eſt, ubi eſt, qui vocatur *indigena*, oppoſitus *advenae*, & per metaphoram pro arbore viridi, quae ob eius virorem ſit manifeſta, non aliunde transplantata, ſed in ſuo dudum loco orta, ſive ſit laurus, ſive buxus, ſive cedrus, ſive alia huius generis, ſemper viridis & ſucculenta; ut haec recte explicavit IO. LORINVS S. I. theologus. (*a*) Ex his vero qua ratione colligi poſſit, Ezrahitas denotare laureatos, nondum videmus; cum nil niſi eodem ſolo natum atque ſemper viride vox illa ratione originis inferat, quod de ſola lauro dici nequit. Addimus & illud, non ſemper reddi poſſe rationes, cur haec vel illa res, haec vel illa perſona, &c. hoc aut aliud ferat nomen, cum rerum antiquiſſimarum conditiones atque circumſtantiae nobis plerumque ſint incognitae. Cum ergo & hae praemiſſae ab authore citato pro libertate ſint aſſumtae, nec in re ipſa fundamentum habeant, etiam ipſa eius concluſio inde deducenda, firmo talo ſtare minime poterit. Multo minus valebit illud, quando hos Ezrahitas ex aetate Davidis ad tempora longe priora reducere vult, *Heman* ſcilicet

(a) *Comment. in Pſalm. T. 1. p. 560.*

cet esse *Mosen* & *Ethan* Abrahamum, favente etiam ipso HIERONYMO; (*a*) ut eo melius ritum cubandi in ramusculis illis, circa Rebeccae etiam tempora fuisse institutum defendere possit. Nam HIERONYMVS in ea re secutus est traditiones hebraeas, quae etiam LORINO (*b*) iudice non semper sunt peritae, quia etymologiae illorum vocabulorum non omnes sunt verae, nec ipsa etiam scriptio orthographica. Ita BOVLDVCVS in praecipuis suarum rationum momentis omni subsidio destitutus, suam, quam circa modum consulendi Deum a Rebecca adhibitum, fovet opinionem, minimum nobis, nunquam persuadebit. Fuit potius divinum oraculum, pro more illius aevi, modo simplicissimo & absque ulla superstitione, quae inter gentiles videbatur necessaria, minime vero apud veros Dei cultores, a Rebecca consultum sive mediate sive immediate. Reliqua hinc inde conquisita ut hac vice dimittamus, suadet temporis angustia, & illorum facilis ruina, subrutis primariis huius structurae fundamentis.

Restat id unicum, ut oraculi a Rebecca consulti responsum quoque consideremus. Ita autem hoc sese habebat: *Et dixit ei Dominus: duae gentes sunt in utero tuo & duo populi ex tuo ventre dividentur: populus populum superabit & maior serviet minori.* Vterus Rebeccae erat amplissimum theatrum,

(a) *In tradit. Hebr. III. Reg. IV.* (b) *loc. cit. T. 2. ad Psalm. LXXXVII. 1. p. 642. & ad Ps. LXXXVIII. 1. p. 662.*

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id427770424/35 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

gentes exhibens integras, varia praesagiens spectacula, futuris seculis exhibenda, mutatis duntaxat personis. Duae aderant gentes, quando duo capita, duo patriarchae, a quibus gentes Iudaeorum & Edomaeorum erant descensurae, ibidem continebantur. Aderant ibi duae gentes in duobus illis filiis, tanquam radicibus, virtute, temporis successu sese exeritura. Sic & nos omnes fuimus in Adamo, generis humani totius capite unico. Sic in Abrahamo Levi iam fuit decimatus. (a) Sed quas illi populi sistent actiones? *duo populi ex utero tuo dividentur.* Vt enim ipsi illorum principes in utero ipso, pugna & collisione vel colluctatione, animos a se mutuo alienos atque divisos ostendebant: ut postea studiis, moribus & sedibus erant separati: ita quoque duo illi populi habitatione, animis, moribus, legibus, atque religione a se invicem discesserunt, comprobante id ipsum eventu in Israelitis & Idumaeis, ex quorum collatione, scriptura praeeunte, cuivis haec constare possunt. Addit porro divinum oraculum utriusque populi fata, actiones & passiones: *Populus populum superabit & maior serviet minori.* Quibusdam placet haec duo membra ita accipere, ut unum alterius sit explicatio, eventum illius divisionis & separationis indicans. Alii vero in priori comparationem institui volunt duorum illorum populorum ratione potentiae & virium, in posteriori autem ratione mirabilis eventus. *Populus populum superabit:* vel pressius ad fontem hebraeum: *populus*

(a) *Hebr. VII. 9.*

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id427770424/36 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

pulus prae populo fortior vel robuſtior erit. Vt Eſavus prae Iacobo primogenitura, viribus & audacia potior & robuſtior erat: ita Idumaeorum populus fortior & robuſtior ab initio fuit populo Iſraelitico, illiusque potentia in tantum crevit, ut illi Iſraelitae cedere neceſſum habuerint. Hinc eſt, quod cum Iſraelitae ab Idumaeis per legatos humaniter peterent licentiam tranſeundi, ut poſſent viae compendium facere, reſponderunt Idumaei, viribus ſuis confiſi, ſatis ſuperbe: (a) *Non tranſibis per me, ne forte cum gladio egrediar in occurſum tui.* Hac tamen potentia magna non obſtante, *maior ſerviet minori,* In haebraeo ponitur רב, quae vox a quibusdam accipitur primo pro multitudine, ita ut ſenſus ſit: qui multitudine & viribus altero quidem longe ſuperior eſt, huic nihilo minus tandem ſerviet. Sed MART. DELRIO (b) haec ARIAE verſio non placet: nam ſi numerum ſpectes, dicit ille, certum eſt iudaeis plures eſſe gentiles: an ergo gentes iudaeis ſubiiciendae? Sed oraculum immediate non reſpicit iudaeos & gentiles, ſed illos & Idumaeos, quorum omnino plures ab initio fuerunt. Ipſe ergo DELRIO vult, vocem illam ad aetatem & tempus eſſe referendam, ut ſit idem quod *ſenior ſerviet minori*; Idumaei enim ex Eſavo deſcendentes aetate priores ſunt illis, qui Iacobum agnoſcunt patrem. Sunt & alii, qui illam ad dignitatem reſtringunt, hoc modo: *ſuperior in dignitate ſerviet minori.* Idumaei enim, ex primogeni-

(a) *Num. XX, 18.* (b) *loc. cit.*

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id427770424/37 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

to familiam ducentes, dignitate priores se aestumarunt reliquis, a Iacobo natis. Tum hi autores tum ille provocant ad LXX. voecm illam per μείζων reddentes, ipso Paulo approbante. (a) Haec quidem prophetia quoad externa & temporalia in personis Esavi & Iacobi non fuit impleta, cum ille huic nunquam servierit, imo potius hic illi. Debuit enim Iacobus patrias relinquere sedes per multos annos, & cum rediret, multis muneribus, magnaque submissione Esavi gratiam sibi conciliare voluit. RIVETVS (b) tamen putat in sensu figurato Iacobum accepisse superioritatem & praerogativam. Nempe servitutis nomen accipiendum est figurate, inquit, cum aliquis ea facit, quibus, etsi actu non serviat, nec se servire existimet, excidit tamen dignitate sua, quae ad ius quod attinet, in alium translata: ille iure servus est, qui eam amisit: & contra, quoad ius, dominus est is ad quem devoluta est praerogativa iuris. His positis, Iacob in tribus primas tenuit supra fratrem suum. Excidit enim Esau iure primogeniturae, quod in fratrem translatum fuit, haereditate promissae ab Abrahamo terrae, quae etiam ad Iacobum pervenit & praerogativa foederis divini & orituri ex Abrahami familia Messiae. In posteris vero utriusque patriarchae etiam in externis & temporalibus eventum observamus illius oraculi: *maior serviet minori.* Licet enim Idumaei, antequam Israelitae terram promissam occuparent, suas iam habue-

(a) *Rom. 9, 12.* (b) *loc. cit. p. 559.*

habuerint ſedes fixas, regnumque conſtitutum, licet ſaepe his faceſſerint negotium: nihilominus poſtea variis temporibus ab Iſraelitis ſub iugum miſſi, iis ſervierunt. Factum hoc praecipue a Davide. (a) Et quanquam hi iugum poſtmodum ſub Ioramo (b) poſt centum & ſexaginta annos, iuxta praedictionem Iſaaci, (c) excuſſerint; ab Amazia tamen rege iterum ſubacti ſunt, (d) & tandem denuo ſub Hircano ſubiugati, (e) circumciſionem recepere (f) & in unam gentem cum iudaeis coaluere.

Hucusque igitur in conſideratione noſtra ORACVLI A REBECCA CONSVLTI vidimus huius occaſionem remotam & proximam, perſonam conſulentem, eum qui fuit conſultus, modum conſulendi verum fictumque & tandem reſponſionem, quam Rebecca accepit. Poſſemus nunc quoque progredi ad evolvendos varios ſenſus, quos eccleſiae patres in ſuis meditationibus ſacris nobis ſuppeditarunt, circa eventum praecipue dati reſponſi. Praeter eos enim, quos ſupra ex parte iam attigimus, per Eſavum & Iacobum *intelligentia ſpiritali*, ut loquitur AVGVSTINVS, (g) indicari volunt, vel progeniem ſecundum carnem & ſpiritum in veteri aeque ac novo teſtamento; *maiorem ſervire minori*, dum per iudaeorum libros

(a) *2. Sam. VIII, 14.* (b) *2. Reg. VIII, 20.* (c) *Gen. XXVII, 40. Aug. Q. ſuper Gen. l. 1. c. 73. p. 23.* (d) *2. Reg. XIV, 7. 2. Chron. XXV, 11.* (e) *1. Maccab. 5. 2. Macc. c. 10.* (f) *Ioſeph. ant. Iud. l. 13. c. 17.* (g) *loc. cit. add. Origenes homilia 12. de carne & ſpiritu.*

libros ad credendum in Chriſtum gentium populus invitatur: (*a*) dum mali ſerviunt bonis, quomodo perſecutores martyribus, quomodo limae vel mallei auro, quomodo molae ſerviunt tritico, quomodo panibus coquendis fornalia, ut hi coquantur, illi conſumantur, (*b*) &c. ſed haec talia indicaſſe ſufficiet. Poſſemus etiam in id aliquam collocare operam, quo ſenſu apoſtolus hoc oraculum adplicet ad electionis myſterium? quemadmodum diverſarum eccleſiarum doctores hac occaſione facere ſolent; niſi prolixiorem haec quaeſtio expectaret disquiſitionem. Poſſemus tandem ex theologia morali illud quaeſitum ventilare, an hoc tempore de futuris eventibus, particularibus praeſertim, & quorum naturales cauſae neceſſariae dari non poſſunt, inquirere liceat? & an illi, qui id moliuntur, excuſari ullo modo poſſint? Cum vero nec his hac vice diutius immorari poſſimus, Deo optimo maximo, pro praeſtito nobis auxilio benigniſſimo in elaboratione huius argumenti, devotas ſolvimus grates, eumque ſupplices rogamus, ut nobis oracula ſua, omnibus hodie expoſita, ſarta & tecta ad conſummationem usque ſeculi conſervare velit. Domine ſanctifica nos omnes in veritate tua! verbum tuum eſt veritas.

M. T. Θ. Δ.

(a) *Auguſt. ſerm. 78. p. 166.* (b) *ibid.*

Coll. diss. A. 105, misc. 18